



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXLIV. De Combustione sub urbii de Castro Gedemini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

Hoc anno in Castro Konigsberg Fr. (4) Johel de Gilberstete
Saxo mortuus fuit, qui dum esset adhuc secularis, vitam
duxit indecentem. Unde Dominus plagavit eum gravi infir-
mitate, in qua dum sacram Communionem & alia Ecclesiae Sa-
cramenta percepisset, quandam Juvenculam, quæ ministrabat
ei, vi opprimens carnaliter cognovit. Unde ex permissione
DEI volentis ulcisci hanc malitiam Dæmones ipsum cum lecto
rapuerunt & per aëra ducentis in quandam paludem distantem
per dimidiā leucam projecerunt, & dixerunt: O miser quo-
modo in hoc statu tuo ausus fuisti facere tantam irreverentiam
DEO tuo & Ecclesiae Sacrementis. Sed cum sic in aëre ducere-
tur, invocavit B. Virginem Mariam matrem misericordiæ pro
auxilio, vovens, quod vellet assumere Ordinis Domus Teuto-
nicæ habitum regularem; quo facto dimissus à Diabolis cecidit
in paludem. De qua exiit & reversus ad Civitatem Hallensem,
quæ gesta fuerant enarravit, & per lectum: & vestes ipsius quæ
postea in palude inventæ fuerant comprobavit.

ANIMADVERSIO.

(4) Jeroschinus & alii antiqui vocant Johann von Gilberstete.

CAP. CCCXLIV.

*De
Combustione sub urbii de Castro
Gedemini.*

POsthæc XI. Kalendas Junii Fr. Thomas de Aldenburg Com-
mendator de Raganita & XLIV. fratres cum CCCC. viris de
Sambiæ & Nattangia improvisè intraverunt in ortu diei subur-
bium Castri Gedemini, & incendio destruxerunt, & occiderunt
quicquid in eo repertum fuit, præter qui ad Castrum confugere
poterant, de parte fratrum tres viri de Nattangia interfecti sunt
& duo

& duo capti. Fr. Other etiam captus fuit, sed breviter postea mirabiliter evasit. Decem enim diebus fuit in via sine cibo.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Eodem modo legunt Striakovskij, Kojalovvicz & Schuzius: non indicant tamen, ubi Castrum illud situm fuerit. Ego puto h̄ic intelligi urbem Vilnam à Gedimino recens tum conditam, nimirum Anno 1322. Occasionem urbis hujus condendæ sic explicat Kojałovvicz. Haut procul à Svintoroha (ubi Principum funeribus aream, lucosque Diis dicaverat olim Germundus) exactum ē profundioribus sylvis & abruptis montium sylvestrem bovem (urum vocamus) proprio telo ipse princeps in edito monte confecerat. Fessum diurnæ venationis labore, & confessæ bestiæ eventu recreatum, cum proximâ nocte in Svintoroha campo pernoctantem arctior somnus oppressisset, videre sibi visus est in ipso montis vertice, in quo feram illam occiderat grandem stare lupum, aut ferro solido ductum, aut ferrata laminâ undique munitum, in quo centum alii inclusi lupi ingenti ululatu circumiacentes latè campos sylvasque implerent. Experrectus non vulgare aliquid in eo viso suspicari: Sive quod genius aliquis altior eam cogitationem objectaret; sive quod ubi facta destinatam à supremo Numine telam ordiri incipiat, fatus cuique animus sibi genus est: sive etiam ex more gentis, cui, (ut cæteris Ethnicis) omnia religionum plena habebantur. Consulti mox, qui in proximo agebant, Pontifices, ut arcana prōderent. Lizdeyco tum inter illos summus Pontifex, seu voce patriâ Krive Kriveyto sacris præerat. Hic olim infans inter Sylvas in aquila nido, vel, ut alii tradunt, de arbore cum cunis pendens à Vitene ipso inter venandum repertus, ejusque mandato ad Deorum altaria educatus & à puerō patriorum sacrorum scientiā imbutus optimus arcanorum interpres tunc censebatur. Ille Principem bono animo esse jubet. Quod ipsi Principi quod Reipubl. Lithyanæ auspicato eveniret, sequeretur feliciter Deos monentes: Lupum ferreum portendere arcem & urbem, quam in eo loco esset conditurus. Eam urbem gentis atque universarum Lithuaniae subjectarum Provinciarum caput futurum; sedem Principum qui rerum à se gestarum famâ varias orbis regiones impleturi

Eee essent;



essent: Paruit Princeps Pontifici è superum; ut putabat, mente, legi-
timè consilium expedienti.. Cæmoniis omnibus ritè perfolutis,
arci locum designat, montis editi caput, in quo urum nuper occi-
derat; Aream Sventorohā nuncupatam, quam ad radicem ejus
montis Vilna fluvius flexuoso sinu ambit, aggeribus, palis ac lorica
permuniri jubet, reliquum spaci urbanis ædificiis relinquitur; &
hæc de Origine Urbanis Vilnæ Kojalovvicz part. I. Lib. VII. p.
262. seq:

(2) Oher legit Stryikovvski.

CAP. CCCXLV.

De

Morte XLV. Lethowinorum.

FOdem anno & tempore quidam de Episcopatu Warmiens
dictus Muko cum XIX. latrunculis vadens versus Lethovvi-
am, invenit XLV. equites Lethovvinos in solitudine, & subili-
ter circumveniens eos omnes interfecit.

CAP. CCCXLVI.

De eodem.

IDem Muko tempore alio cum paucis latrunculis exiit contra
infideles, & dum venisset in solitudinem, vidi plures equites
de Lethovvia, & expavescens illorum multitudinem & poten-
tiam, rejecit de humeris suis cibum & potum, & quicquid eum
poterat gravare, & cum sociis suis fugit & evasit. Quo facto
idem Muko turbatus post multa consilia dixit ad socios suos;
Oportet nos mori fame, quia cibum non habemus. Consulo
ergo ut moriamur honestè. Sequamur hostes nostros & videa-
mus si possimus aliquid proficere contra ipsos, quod cum pla-
cuisset omnibus, accesserunt secretè noctis tempore, & omnes
occisi

